

Werns-
dorf

1770



C

SY

G

RE

T

30

IV



37, 1723
500

DISSE¹⁹RAT³O BREVIS
DE
CAPITIS POENA ET SECTIONE
EX LEGIBVS XII. TABVLARVM

QVAM
VIRO
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIONO

GVILIELMO PAVLLO
VERPOORTENNIO

RECTORI ILLVSTRIS GYMNASII GEDANENSIS
THEOLOGIAE P. P. ET PASTORI AD AEDEM
S. TRIADOS DESIGNATO

PIE MENTIS TESSERAM
3598 E S S E C V P I T
GOTTLIEB WERNSDORFIUS
IVR. VTR. CANDIDATVS ADVOC. IMMATRIC.
ET S. C. M. NOTAR. PVBL.

WITTEBERGAE
LITTERIS C. CHR. DÜRRRI ACAD. A TYPIS.

13. 1. 06.

1770.



VIR SVMME REVERENDE
AVVNCVLE, PIE COLENDE.

 *Posteaquam mihi renunciatum est, Magnificum Reipublicae Gedanensis Senatum, reliquosque amplissimos Ordines, in TE Rectoris Gymnasi patrii munus perbenigne contulisse, TIBI que, ut in hoc celeberrimo Athenaeo Theologiam doceres, mandasse, sane quam pro eo, ac debui vehementer gauisus sum, huiusque mei gaudii testes quam plurimos esse volui. Cum enim animus hominum ita comparatus sit, ut nulla fortuna perfecta esse credatur, cuius alii consci non sint, et ipsa haec laetitiae communicatio gaudium augeat, ego quoque diu multumque cogitaui, qua ratione, quam plurimos huius mei gaudii participes redde rem. Cum autem intelligam id commo dius*

dius fieri non posse, nisi aut more acade-
mico libellum aliquem ederem, in cuius
fronte pia vota nuncuparem, aut condu-
cto carmen locarem poetae, iam mitto ad
TE dissertationem breuem de lege XII.
Tabularum, quae debitoribus obaeratis
capitis poenam sectionemque minatur,
quam materiam ideo potissimum tractan-
dam suscepi, quod magis ex humaniorum
litterarum disciplina, quam ex iuris no-
stri praeceptis diiudicanda est. Quod si
enim ad TE causam aliquam, quae quoti-
die in foro tractatur, de Iure v. c. prio-
ritatis creditorum in concursu, retulif-
sem, omnes me illico ad agnatos genti-
lesque mittendum censerent, nec iniuriam
mihi facerent, cum eiusmodi res a stu-
diis TVIS alienae sint, nec personae TVAE
accommodatae. At cum TV, VIR SVMME
REVERENDE ab ineunte inde aetate lit-
teras, quae ab humanitate appellantur, non
contemendas putaueris, sed omnis anti-
quitatis et in primis Romanae peritus sis, in
hac

hac causa etiam cum aliis iudex sedere
poteris. Nec a TVA omnino disciplina
huius legis explicatio abhorret, cum sint
nonnulli, ut sibi videntur eruditii inter-
pretes, qui illam ἐντον apud Matthaeum
XXIV. 51. et Lucam XII. 46. νη διχοτο-
μησει ἀυτον explicantes, illico ad hanc, de
qua agimus legem prouocent, seruique
miseri corpus crudelissimo laniatu discer-
ptum putent, quos tamen meliora iam do-
cuit Cl. Heumannus, qui διχοτομην flagris
scindere interpretatur. praeterea in his
ἀγνοησαφων locis non de poena debitoris
obaerati agitur, sed serui malefici, qui
domino absente conseruos dure tractauer-
rat, unde etiam si in hac ex XII. Tabb.
lege capitis poena et sectio, ultimum sup-
plicium denotaret, nullum tamen inde isti
interpretes auxilium petere possent. Hanc
iam habes opellae meae rationem, quae si
TIBI non displicerit, operaे pretium me
fecisse putabo. Ego vero et TIBI et
Athenaeo patro de hoc munere in TE
colla-

collato, vehementer gratulor, TIBI, quod
amplissimam nacltus es occasionem, egre-
gias doctrinae TVAE opes cum aliis com-
municandi, Athenaeo vero, quod hac ra-
tione ingentem iacturam, quam morte b.
Bertlingii viri, siue ingenii dotes, siue
animi sinceritatem species, omnino incom-
parabilis fecit, reparare potest. Diu-
igitur ut saluus incolumisque hanc am-
plissimam obtainere stationem, et multos
TVI similes erudire possis viros, id est,
quod summa cum religione opto, denique
ut mihi et in posterum fauere pergas,
rogo, non quod de TVA in me beneuelen-
tia, quam saepius iam testatam fecisti,
dubitem, sed quia solemnis haec est fini-
endi formula. Vale. Dab. Wittebergae
d. V Aug. MDCCCLXX.



DE CAPITIS POENA ET SECTIONE

EX XII TABVLIS

Quanquam multi grauesque viri
Romanorum leges antiquissi-
mas, ab immanitatis crimine,
cuius interdum reae fiunt, vin-
dicare studuerunt, et illam praesertim legem
XII Tabularum, quae poena capitis et se-
ctione, in debitores obaeratos animaduerti-
iussit, explicatione mitigandam censuerunt;
nonnulli tamen adhuc nostra aetate, testimo-
nio TERTULLIANI in *Apolog. C. 4.* QVIN-

- A CTILIANI


CTILIANI *Instit. Orat. Lib. III. C. 6.* et
 GELLII *Not. Attic. XX. I.* fidentes, Ro-
 manos dirae nefandaeque immanitatis ac-
 cusare solent. Illud post alios defendit V.
 A. CORNEL. VAN BYNKERSHOECK in
Observ. Iur. Rom. L. I. C. I. qui tamen me
 iudice capitis poenam non satis accurate ex-
 plicasse videtur; hoc vero summum quon-
 dam huius Academiae decus AVG. A LEY-
 SER in *Medit. ad Pandect. Spec. 474.* tue-
 ri suscepit. Quod si igitur auctoritatibus
 certandum esset, dubii omnino haereremus,
 quam potius sequeremur opinionem, et ini-
 qua forsan magis placeret, ob antiquiorum
 eorumque plurium testium numerum. Sed
 demus id veritati, summorumque auctorum
 iudicio, ut *accitis, quae usquam egregia,*
compositas duodecim Tabulas esse TACITO
in Ann. III, 27. credamus, easque totam ci-
 uilem sapientiam, descriptis omnibus ciu-
 tatis utilitatibus ac partibus continere, de-
 nique et auctoritatis pondere, et utilitatis
 vertate bibliotecas omnium philosopho-
 rum superare cum CICERONE *de Orat. I. 44.*

pute-

putemus. Nam ipsa historia nos docet, fieri non potuisse, quin summa his legibus inef-
set aequitas. Quis enim est, qui cum legat
istam Decemuirorum ad populum oratio-
nem apud LIVIVM III, 34. *Quod felix
faustumque Reipublicae, Vobis, liberis-
que vestris sit, eatis et legatis leges pro-
positas.* Nos quantum decem hominum,
ingeniis prouideri potuit, omnibus summis
insimisque iura aequauimus, sed plus pol-
lent multorum ingenia consiliaque. Ver-
setis igitur in animis vobiscum vnam-
quamque rem, agitetis deinde sermoni-
bus, atque in medium, quid in quaqua re
plus minusue sit conferatis. Eas enim
leges habebit populus Romanus, quas con-
sensus omnium non iussisse latas magis,
quam tulisse videri potest, non in admira-
tionem statim abripiatur, quod inter tot
ciuium millia nemo obaeratorum fuit, qui
ad durissimam legem de corporum sectione
ingemisceret, si sectio illa, quam debitori-
bus Decemuiri minantur, saeuissimo corpo-
ris laniatu perficienda fuisset? praesertim

A 2

cum



cum leges ad rumores hominum correctas
esse ex LIVIO III, 34 discamus. Nonne
plebeii pauperrimi homines, qui patriciis
aere alieno obstricti erant, hanc saeuissimam
legem tollendam antiquandamque putas-
sent? Enim vero perlatae sunt hae leges
centuriatis comitiis, nec unquam ciuis inter
tot nexorum querelas, questus est, debito-
rem a foeneratore necatum esse. Si autem
consensu publico hanc crudelitatem legitimi-
mam sublatam esse QVINCTILIANO *Inst.*
Orat. III, 6. et TERTULLIANO *Apolog.*
C. 4. credimus, et neminem tam atroci sup-
plicio in debitores vsum esse putamus, qua-
lem igitur causam habuisse Decemuiros
censemus, qui adeo duram, et ab omni
humanitate remotam, legem ferrent, imo
duriorem nexit conditionem imponerent,
quam ab antiquissimis Romanae reipubli-
cae originibus habuerant? Seruui enim Tul-
lii regis tempore debitores quidem obaera-
ti libertatem amittebant, et in neruum du-
cebantur, non vero ultimo suppicio adsi-
ciebantur, vti illud ex oratione regis, qua-
populum

populum deliniebat, discimus, cuius verba
apud DIONYSIVM HALICARNASS. Lib.
IV. p. 215. ed. Sylburg. haec sunt: 'Οσci
μεν ὑμων ὁφειλόντες ἦδε χρέα δια πενίαν αἰδονύσιοι
εἰσιν αποδεναχ, τέτοις βοηθεῖν προθυμιώμενος,
ἐπειδ' πολιταὶ εἰσι οὐκ πολλές ὑπερ τῆς πατρίδος
αἰνητλήκαισι πόνος, ίνα μὴ την ίδιαν αἴφαιρεθῶσιν
ἔλευθερίαν οἱ την κοινὴν βεβαιώσαντες, ἐκ των
ἔμαιντος χειροπάτων διδωμι διαλυσαθεῖ τα χρέα,
ὅσοι δ' αὐτοὶ ταῦτα δανείσονται, τετοις ἐκ ἑάτω
προς τα χρέα αἴπαγεθαι, ἀλλα νομον Θήσω, με-
δέναι δανείζειν ἐπι σωμασιν ἔλευθέροις, ίκανον ήγε-
μενος τοις δανεισταῖς τας ἔστιας των συμβαλλοντων
κρατειν. i. e. *Qui vestrum obaerati pro-
pter paupertatem aes alienum exsoluere
non possunt, iis auxilium ferre apud ani-
mum meum constitui, quia ciues sunt, et
multos pro patria labores exantlauere. ne
igitur ii, qui communem libertatem fir-
mauerunt, propriam amittant, iis ex
meis bonis suppeditabo, ut debita exsol-
uere possint. Si quidam autem in poste-
rum a foeneratoribus mutuum sumserint,
eos ob aes alienum in neruum duci non*

*finam, caueboque lege, ne foeneratoribus
ius sit in libera corpora, sed contenti sint
debitoris facultatibus.* Postea etiam haec
poena debitoribus obaeratis mansit, quan-
quam enim, quin rex promissis steterit et
legem de debitoribus in vincula non du-
cendis tulerit, non dubitandum censeat
HEINECCIVS *Antiq. Iur. Lib. III. Tit.*
30. §. 3. ad alteram illam regis orationem
prouocans, qua a Patriciis se ideo insectari
Seruius dicit quod pauperibus libertatem a
foeneratoribus eripi non passus sit, apud
DIONYS. HALIC. *Lib. IV. p. 216.* ὅτι τες
πέντες υμᾶς ἔχειστα τὴν ἐλευθερίαν αἰφαρε-
θῆναι, ὃς διτων (δοκεισων) αἰχθεντας, egregie
tamen notauit, illustre Academiae nostrae
decus **RITTERVS** in *Not. ad Heinecc. Hist.*
Iur. I, 10. hanc ipsam concionem, quam
Heineccius tangit, non vltimis temporibus
a rege conuocatam esse, sed antequam re-
gium conscenderet solium, praeterea Diony-
sium, cum recensum legum Seruui face-
ret, hanc legem tacuisse, denique regem
alia forsan ratione, leges de contractibus
fancien-

sanciendo, et pecuniam pro obaeratis ex-soluendo, plebeiorum libertatem in tuto collocasse. Praeterea post regis fugium, in libera republica eadem fuit debitorum, qui soluendo non erant, conditio; nam ad A. V. C. 254 post reges exactos undecimum scribit DIONYS. HALICAR. Lib. V. p. 319.
οἱ δανειζόντες εἰς δεσμὸς τὰ τὰν ὑποχρέων ἀγῆγον σώματα, καὶ ὡσπερ ἀργυρωνήτοις ἔτως ἐχρώντο.
 i. e. foeneratores obaeratos in vincula ducebant, iisque ut emis seruis vtebantur. et A. V. C. 256. ciues quaeruntur, se ob debita in neruum duci, et asserto licet urbi imperio, ne corporum quidem libertatem tueri posse. Appius vero apud DIONYS. Lib. VI. p. 360 et 386. et Agrippa Menenius p. 405 hoc ius obaeratos in vincula ducendi legibus concessum esse dicunt, vt sine dubio Romani hunc morem a Graecis accepisse videantur, quorum plerique legislatores teste DIODORO SICULO Lib. I. C. 79 debitores vinciendos esse permiserunt.

Cum igitur in tota Romana antiquitate de corporis sectione et dilaniatione crude-



lissima, nihil, nec ante duodecim Tabulas latas, nec post eas scriptas, inueniamus, vero simillimum esse videtur, Decemuiros eam non iussisse, sed eam posteriorem aetatem eliciuisse ex verbis legitimis. Quare quouis pignore contenderem, neminem fore, qui tantam in Decemuiiris fuisse crudelitatem statueret, nisi huius sententiae antesignanos haberet, Gellium, Tertullianum et ipsum Quintillianum. Etenim cum soleamus de gentium moribus, quae barbariem exuerunt, mitius iudicare, ita dubitandum non est, quin plerique, nisi Gelli aliorumque auctoritas obstatisset, huius legis sententiam aliter explicauissent. Ne igitur grauissimorum scriptorum auctoritas veritati officiat, eorum fidem in re tam antiqua, et ab eorum aetate remota, paullum in dubium vocemus. **GELLIVS** minimis nos impediet difficultatibus, ipse enim, qui sexcentos fere annos post leges duodecim Tabularum latas vixit, fatetur. *Lib. XX. 1. longam aetatem verba atque mores veteres, quibus verbis moribusque senten-*

sententia legum comprehensa est, obliterrasse, id quod eo facilius fieri potuit quia plerique, qui iurisperiti videri volebant, cum Iurisconsulto apud GELLIVM Noct.
Att. XVI. C. 10 credebant, se studium scientiamque praestare debere iuris et legum, quibus sua aetas vteretur, nec ius Faunorum, Aboriginumque discere debere.
 TERTULLIANO autem plura etiam obstant, quam Gellio, quamvis enim EVSEBIUS *Hist. Eccl. II, 2.* hunc latinae ecclesiae patrem iuris Romani peritum fuisse dicat, et sint nonnulli, qui hunc, de quo agimus, Tertullianum et Iurisconsultum, cuius fragmenta in iuris nostri libris extant, eundem esse putent (in quorum tamen sententiam ob argumenta MENAGII in *Amoen. Iur. Civ. C. 12.* et ob diuersum in primis vtriusque stilum nos non descendimus); aetas tamen eius, qui Septimio Seuero Imp. συγχρόνος fuit, a compositione duodecim Tabularum longius remota, et studium eius, quod vbique prodit, in eos, qui Christi dogma non sequebantur, animaduertendi,

A 4

testi-

❧

testimonium, boni Patris maxime suspe-
ctum reddunt. Solus igitur restat testis im-
manis Decemuirorum saeuitiae, **FABIVS**
QVINCTILIANVS, in quem nulla partium
studii cadit suspicio, et qui Gellio Tertul-
lianoque antiquior fuit, cum puer, Galba
imperatore, Romam venerit, quamuis etiam
quingentos fere annos post Decemuirum
legislationem vixerit. Hic testis eo maio-
rem fidem mereri videtur, cum non longius
absit ab illis temporibus, quibus pueri leges
duodecim Tabularum, teste **CICERONE de**
Legib. Lib. II. C. 4. et 23. vt carmen ne-
cessarium discere sunt soliti. Sed vt res
eo clarior fiat ipsa **FABII in Inst. Orat.**
Lib. III. 6. apponamus verba: *Sunt, inquit,*
quaedam non laudabilia natura, sed iure
concessa, vt in duodecim Tabulis debito-
res corpus inter creditores diudi licuit:
quem legem mos publicus repudianuit.
At in his verbis corpus debitoris diudi au-
dio, lanionem vero et carnificem, qui
summo cum cruciatu corpus in diuersa tra-
heret, non video, quare cum sciam omnes
res,

res, nisi quae natura sua diuisionem non
 recipiunt, recte diuidi posse, et in his rebus
 etiam per *L. 2. §. I. de Verb. Oblig.* ho-
 minem esse, qui aequo ac nauis diuidi pos-
 sit, quamuis diuisio aut sectio haec vel no-
 uaculis vel ferris facta, vsum omnem aequo
 ac nauis amissura esset; *Quinctilianum*
 ideo, nisi aliud obstat, de diuisione mo-
 rali, ut ita dicam, non physica agere puta-
 rem, eumque prorsus ex contra sentientium
 numero eximerem, praesertim cum ipse
 FABIVS *Inst. Orat. VII*, 3. debitores in-
 seruitutem, donec soluerent addictos esse
 doceat, de antiqua scilicet obaeratorum
 conditione differens, quae iam multos an-
 te eius aetatem annos per legem Poeteliam
 Papiriam improbata erat. Sed ne hanc
 meam de explicando *Quinctiliani* loco sen-
 tentiam, receptae interpretationi omnino
 anteponendam censeam, ultima huius loci
 verba, in quibus morem publicum hanc le-
 gem repudiasse dicit, impediunt, nam ne-
 minem vnquam a pluribus creditoribus
 venditum ac pretium inde redactum diui-
 sum

sum in partes esse, in tanta temporum antiquitate negare non audeo. Sed quanta quanta sit etiam Quintiliani auctoritas, eius tamen vnius testimonium, praesertim cum iam eius tempore, legitima duodecim Tabularum verba, ut *proletarius v. Inst. Orat. VII*, 3 obscuriora ignotioraque es- sent, contra omnem veri speciem apud me non valebit. Argumenta enim, quae immanem illam saeuitiam, a Decemuirorum legislatione absuisse probant, ut paucis ea colligam, haec sunt. Leges primum duodecim Tabularum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito corre-etas centuriatis comitiis perlatas esse **LIVVS III, 34. et DIONYSIUS HALICARN.** *Antiquit. X. p. 681.* docent. Decemui-ros autem, qui omni modo plebis fauorem demererri studebant, ut eorum princeps etiam Appius repente pro truci saeuo que insectatore plebis, plebicolora, omnisque au- rae popularis captator euaderet, vnquam tam saeuam et libertati plebeiorum inimi-cam legem tulisse, ab omni veri specie ab- horret,

horret, praesertim cum iam dura admodum esset obaeratorum conditio, quibus
 capitis poenam, id est, libertatis amissionem,
 vt postea docebimus, minati sunt Decem-
 viri, quae cum sub regibus iam inualuisset
 minorem habuit inuidiam. Nec inter tot
 nexorum querelas, et in foeneratores con-
 via, quenquam necatum, et corpus mi-
 ferrimo laniatu distractum inter debitores
 diuisum fuisse, quin nec vltra Tiberim de-
 bitores, qui soluendo non erant, venditos
 esse legimus, cum tamen multo durior esset
 transtiberina venditio, quam in vrbe serui-
 tus. Tandem ipsa legis verba, quae nobis
 GELLIVS in Noct. Att. XX. 1. seruauit,
 Quintiliani Tertullianique sententiae con-
 traria sunt. Nullo enim modo, si corpus
 a creditoribus in partes minutas dissectum
 esse putas, haec verba: SI PLVS MI-
 NVSVE SECVERVNT, SE FRAV-
 DE ESTO, explicare poteris, nisi inepta
 plane et stolida velis fingere, debitoris sci-
 licet miserum corpus in tot partes, quot ha-
 buisset creditores diuisum esse, et vnum-
 quemque



quemque creditorem pro modo crediti carnis partem secum tulisse, ut fere versus VIRGILII *Aeneid. I. v. 214 sq.* de iis dicere possis.

Illi se praedae accingunt dapibusque futuris

Tergora diripiunt costis et viscera nudant.

Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt etc.

Quomodo igitur horrendi carminis verba iam explicanda sint, ut legi suae conseruentia, et interpretatio verbis legitimis accommodata, sit, iam dispiciamus. Quod ut eo facilius procedat verba GELLII *N. A. XX. 1.* apponamus. *Sic enim sunt, opinor,* inquit, *verba legis:* AERIS CONFESSI DEBITIQUE IVRE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO, POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO. IN IVS DVCITO NI IVDICATVM FACIT AVT QVIPS EM ENDO IVRE VINDICIT SECVM DVCITO VINCITO

CITO AVT NERVO AVT COM-
PEDIBVS QVINDECIM PONDO
NE MAIORE AVT SI VOLET MI-
NORE VINCITO SI VOLET
SVO VIVITO NI SVO VIVIT
QVI EM VINCTVM HABEBIT
LIBRAS FARRIS IN DIES DATO
SI VOLET PLVS DATO. *Erat*
autem ius interea paciscendi, ac nisi pa-
cti forent habebantur in vinculis dies
sexaginta; inter eos dies trinis nundinis
continuis, ad Praetorem in Comitium
producebantur, quantaque pecuniae iu-
dicati essent, praedicabatur. tertiis au-
tem nundinis capite poenas dabant, aut
trans Tiberim peregre venumibant — si
plures forent, quibus reus esset iudicatus,
secare si vellent et partiri corpus addicti
sibi hominis permiserunt. et quidem ver-
ba ipsa legis dicam, ne existimes inuidiam
me istam forte formidare. TERTIIS,
inquit, NVNDINIS PARTIS SE-
CANTO, SI PLVS MINVSVE SE-
CVERVNT, SE FRAVDE ESTO.

Pater



Patet ex his, Decemviros capitis poena et
 sectione in obaeratos debitores animaduerti
 iussisse. priusquam vero de his poenis di-
 ligentius agamus, lubet verbis Gellii pau-
 lis per immorari, et de lectione ipsa quae-
 dam monere, ut ex his ipsis summa legis-
 latorum aequitas magis appareat. De-
 cemviri aiunt, **AERIS CONFESSI**
DEBITIQVE IVRE IVDICATIS.
 In verbis enim nihil muto, cum in iis la-
 psum esse scribam vero non sit simile, quia
 tribus locis eadem loquendi formula repe-
 tita est apud **GELLIVM** semel in *Noct.*
Att. XV, 13. et bis in *Lib. XXI. C. 1.* et
 haec verba etiam, prout iacent, commo-
 dum admittant sensum, ut nec **BYNKERS-**
HOEKII in *Obs. Iur. Rom. Lib. I*, 1. con-
 jectura, qui **REIS CONFESSIS** legit,
 nec aliorum emendatione, qui **AERIS**
CONFESSO REBVSQVE IVRE
IUDICATIS exprimunt, egeamus.
 Confiteor enim, ut **GELLIUS N.A. XV.**
 13. docet, et multae dictiones, ut *res con-*
fessa apud **CICER.** in *Verr. V*, 56. pro-
 bant,

bant, est verbum commune, quo et activo et passivo sensu Grammatici usi sunt; iudicandi autem vocabulum non solus GELLIVS, qui in propria causa testis nimis leuis videretur, sed et alii scriptores optimi, ut LIVIVS VI. 14. gignendi casui, ut cum Grammaticis loquar, iungunt. Aeris confessi ac debiti iure iudicatis, inquam, id est iis, qui ob confessionem aeris alieni, legitimo iudiciorum ordine seruato, per sententiam Praetoris, id enim est iure, damnati erant, Decemuiri aliquot spatum concedunt, quo pecuniam conquirere possent, nec eos statim creditoribus addicere voluerunt. Praeterlapsi autem triginta dierum spatio, ad tribunal vocant debitorem, eumque, nisi aes alienum soluere possit, aut alias eum in ipso loco iudicii, id est, EMENDO IVRE pecunia pro eo depensa vindicaret, ut saepius fecit seruandae turbandaeque pariter reipublicae natus M. Manlius Capitolinus, v. LIV. VI. 11. sq. creditori custodiendum tradunt, nondum vero in servitutem addicunt, ut ex posterioribus GELLII verbis ap-


B

parebit.



parebit. Ne vero debitores in hac custo-
 dia durius habeantur, et ut est apud DIO-
 NYS. HALIC. *Antiqu. Rom.* VI. p. 402.
 queri possint, se ut truculentissimas bestias in-
 genti catenarum onere (*πλοῖοις ταχι μυδεροῖς*)
 vinciri, edicunt, ne neruo et compedibus
 quindecim pondo maioribus vinciantur, et
 ut in singulos dies singulas minimum libras
 farris accipient, quod ordinarium seruorum
 diarium fuisse ex HORAT. *Lib. I. Satyr.* V.
 v. 68. constat; generoso vero creditorum
 animo concedunt, ut leuiores compedes
 adhibeant, maiusque diarium praebent.
 Pleraeque quidem Gellii editiones insignis
 decemuirorum crudelitatis speciem prae se
 ferunt, quippe quae AVT COMPEDI-
 BVS QVINDECIM PONDO NE
 MINORE AT SI VOLET MAIO-
 RE VINCITO, legunt, sed uti nos ex-
 pressimus, ita ex antiquo et accurato exem-
 plari legem proponit, elegantiori iurispru-
 dentiae restaurandae natus IAC. CYACIVS
 in *Observ III*, 39, et verba ipsa quae se-
 quuntur, de diario debtoribus praebendo
 aperte

aperte docent, tam duros decemuiros non fuisse. et quae tandem causa fuisset, vt Decemuiiri adeo barbare ac crudeliter in debitores, qui aes alienum exsoluere non poterant, consuluissent, cum eos custodiae tantum gratia apud creditores esse vellent? Inter sexaginta enim dies, quibus in vinculis habebantur, tribus nundinis in comitium producebantur, et quantae pecuniae iudicati essent, praedicabatur, vt forsan ciuis aliquis diues vel affinitate iunctus, misero illorum hominum statu motus, creditori satisfaceret, debitoremque libertati restitueret. Obaeratos autem non statim post illam sententiam Praetoris: D U C A S L I C E T; seruos factos esse, ex eo patet, quod Gellius eos per sexaginta dies in vinculis fuisse dicat, et tertiiis demum nundinis capite poenas dedisse, aut trans Tiberim peregre venum iisse. Certum ergo est, aliam fuisse nexorum conditionem per sexaginta illos dies, quam postea; quodsi enim statim post primam Praetoris sententiam serui facti essent, non diceret GELLIVS, eos in



vinculis fuisse sexaginta dies, eum constet
nexos, vsque dum soluerent seruiisse, et
servilis etiam conditionis indicia, vincula et
compedes scilicet, pro arbitratu eius, cui
serviebant, gestasse. Saepius enim apud LI-
VIVM L. II. C. 23. et DIONYS. HALICAR:
aliosque autores, obaerati sua ostentant
vincula. Post sexaginta igitur dies demum,
ut arbitror, nEXI serui siebant, id enim est,
CAPITE POENAS DABANT.
Quamuis enim CORN. BYNKERSHOEKIVS
in *Obs. Iur. Rom. I*, i. hanc loquendi for-
mulam CAPITE POENAS DABANT,
alio plane modo interpretetur, et debito-
rem in vsuras sortis teneri putet, nec ego
diffitear, que ab eo de capitibus poena seu
vsuris sortis dicta sunt, pro more eius erudite
ac eleganter disputata esse; tantum tamen ab-
est, vt in huius viri Amplissimi sententiam
discedam, vt potius alia omnia censem.
Nullum enim praesens commodum senti-
ret creditor, si debitor etiam in vsuras for-
tis condemnatus esset, a quo ne sortem qui-
dem ipsam recipere potuit, quod si vero
debitor

debitor soluendo fuit, putabimusne in ner-
 uum duci et priuatos carceres se passurum
 esse? Quare hoc vsurarum iudicium nul-
 lum plane vsum habuisse. Praeterea ut
 ipse BYNKERSHOEKIVS in altera parte le-
 gis explicanda contra ANNAEVM ROBER-
 TVM, qui sectionem, quam Decemuiiri ob-
 aeratis minantur, per bonorum distractio-
 nem interpretatur, recte monet, *Decemui-
 ri*, ut verbis eius vtar, *hic toti sunt in con-
 stituendo iure, quod creditori competit,*
non in bona (de quibus nihil omnino) at
in ipsum debitorem condemnatum. Deni-
 que ipsa explicatio verborum nimis audax
 videtur, cum vsuras *capitis poenas* dictas
 esse, difficillime nobis persuadere poterit.
 Quanquam enim in L. 40. D. de reb. cred.
 vsurae morae, poenae loco dari dicuntur,
 valde tamen dubito an poenarum vocabu-
 lum absolute positum, apud bonos scripto-
 res vsuras significet, ut taceam apud GEL-
 LIVM debitores non *capitis poenas*, sed *ca-
 pite poenas* dedisse, dici. Poenae potius
 vocabulum hic proprio et vsitato sensu acci-

piendum existimo, vt sit malum passionis
ob malum actionis, definiens ita HVG.

GROTIUS de Iure Bell. et Pac. Lib. II. C.

20 §. I. Malum enim actionis in debitoribus
obaeratis est id, quod creditoribus, vt

par erat, non soluerent, malum autem pa-
ssionis sunt vincula et denique seruitus. Ca-

put enim, vt non ignorant, qui in **INSTI-**
TUTIONIBVS IVSTINIANI Imperatoris

Titulum de Capitis deminutione legerunt,
est status, seu conditio hominum, ratione

cuius diuersis iuribus vtuntur. Quemad-
modum autem status ciuilis triplex est, vel

libertatis, vel ciuitatis vel familiae, sic eti-
am capitis minutio diuiditur in maximam,

mediam et minimam. At cum maxima
capitis deminutio duas reliquias semper iun-
ctas habeat, et servus nec ciuitatis nec fa-

miliae iuribus fruatur, capitis deminutio
simpliciter dicta, plerumque maximam si-
gnificat, vnde receptum est seruum caput

non habere §. 4. *I. de Cap. demin.* et eum,
qui ex ingenuo seruus fit, caput amittere,

seruus enim persona non est, sed rebus an-

ume-

numeratur L. 2. §. 2. D. de Leg. Aquil.
 Quid igitur est, quod impedit, quo
 minus loquutionem GELLII CAPITE
 POENAS DABANT eodem modo
 explicemus? et debitores poenae loco ca-
 pite minutos dicamus? quod ex historia
 factum esse discimus; maximam enim ob-
 aerati et nEXI patiebantur capitis diminu-
 tionem, qui libertatem donec soluerent,
 amittebant. Miror equidem Clarissimum
 BYNKERSHOEKIVM hac explicatione vsum
 non esse praesertim cum ipse Obs. III, 6. illam
 κεφαλικην τυμοριαν, quam THEOPHILVS in
 Inst. pr. Tit. de perpet. et temporal. actio-
 nib. furibus diurnis inflictam esse scribit,
 et illud *capitale crimen*, quod SCHOL-
 ASTES ad Virgil. Aeneid. VIII. v.
 205. apud maiores ante poenam quadrupli,
 furtum fuisse dicit, per addictionem in
 seruitutem interpretandam esse censeat.
 Egregie mihi haec nostra interpretatio al-
 teri legis parti, scilicet AVT TRANS
 TIBERIM PEREGRE VENVM-
 BANT

BANT conuenire videtur. Est igitur disiunctiua legis dispositio, debitores, qui soluendo non sunt, uel in urbe et agro Romano seruiant, uel ultra fines agri Romani vendantur. Nullam enim probabilem causam uideo, cur **GOTHOFREDVS** in *IV. Fontibus Iur. Ciu.* hanc legis partem de Transtiberina venditione ad debitores, qui pluribus rei iudicati essent, transulerit, cum cuius **GELLI** uerba accuratius consideranti constet, cum priore legis parte hanc sanctionem coniungendam esse. Cum autem sciamus nunquam Romanos ciues trans Tiberim peregre venutiisse, quia inter tot nexorum querelas nunquam eos de tam dura acerbaque trans Tiberim venditione questos esse legimus, in urbe et agro Romano autem frequentissime seruiisse ex tot auctorum locis discamus, pro certo adfirmare posse nobis videmur, Decemuiros, qui ne in fures quidem ultorem gladium expediueret. **CORN. BYNKERSHOEKII Obs. Iur. Rom.**

Rom. III, 16. hac sua lege obaeratis summuim supplicium minime irrogasse, sed hoc potius iussisse, quod iam ante eorum legislationem moribus receptum erat, et quod postea etiam factum esse ex Historia Romana discimus. Haec quae de *capitis poena* dicta sunt, cum eo minus dubia sint, quo saepius apud auctores, licet Themidis sacerdotes non sint, caput pro hominum statu libertatisque iure accipiatur, et quo certius est ab aliis etiam auctoribus seruitutem capitris poenam dici, uti hac loquendi formula utitur ARRIVS MENANDER, cuius verba in L. 4. §. 10. D. de re milit. haec sunt: *qui ad dilectum olim non respondebant, ut proditores libertatis, in seruitutem redigebantur: sed mutato statu militiae recessum a CAPITIS POENA est;* multum facient ad alteram legis partem, quae de pluribus creditoribus agit, et si verba ex SEXTI CAECILII apud GELLIVM opinione intellegas, immanem saeuitiae ac crudelitatis speciem

speciem prae se fert, explicandam. Nam
 si plures creditores erant, quibus reus es-
 set iudicatus, lex permittit, debitorem in
 partes secare, iubetque id sine fraude esse,
 si creditores plus minusue sequissent. Re-
 cete igitur IAC. GOTHOFREDVS in *IV. Fon-*
tib. Iur. Civ. hanc legem ita restituit:
A S T S I P L V R E S E R V N T R E I
T E R T I I S N V N D I N I S P A R T E S
S E C A N T O : SI PLVS MINVSVE
S E C V E R V N T , S E F R A V D E E S T O .
 quam restitutionem inuita Minerua solli-
 citant BYNKERSHOEKIVS *Obs. I. 1.* et qui
 eum et in hac re temere sequutus est HEI-
 NECCIVS in *Antiquit. Iur. Lib. III. 30.*
 quippe qui **A S T S I P L V R I B V S**
E R V N T R E I etc. legendum censeant.
 Etenim emendatio haec et minus necessaria
 est, cum reus omnis is sit, de cuius re agi-
 tur, siue sit petitor, siue is, vnde petitur,
 teste CICERONE *de Orat. II. 79,* quare
 creditores commode etiam reidici possunt,
 et omnem etiam verborum seriem turbat,
 quia


quia hac mutatione recepta non dici posset
 PARTES SECANTO ut est apud GEL-
 LIVM sed PARTES SECANTOR et
 in sequenti denique legis commate SI
 PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE
 FRAVDE ESTO creditorum vocabu-
 lum supplendum esset, qui in priore non
 nominantur. qua tamen subitanea obser-
 vatione ego celeberrimorum Antecessorum
 famae, cui multum omnino tribuo, nihil
 detractum volo. Iam redeo unde deflexit
 iter. Cum igitur debitori, qui uni credi-
 tori aere alieno obstrictus erat, periculum
 vitae non imminereret, iniqui fuissent decem-
 uiri neceſſe est, si miseri debtoris, qui plu-
 ribus reus iudicatus esset, corpus saevissi-
 mo laniatū discerpendum creditoribus de-
 difſent. Excusari forſan posset durior poe-
 na, si ob maius aes alienum contractum,
 debitores grauius puniti eſſent, at non re-
 ſpiciunt ad quantitatem debiti Decemuiri,
 ſed ad ſolum potius creditorum numerum;
 pluribus autem debere, non maius ſcelus
 est,



est, quam vni, et saepius apud diuitem
vnum maius aes alienum contrahi potest,
quam apud plures non aequa locupletes.
Quam ob rem lubenter sequor BYNKERS-
HOEKII explicationem, qui duram illam
Sexti Caecilii interpretationem improbat,
et debitorem publice venditum esse sta-
tuit, ut quantum fieri posset, publica aesti-
matione omnibus satisficeret, ne quis iusto
minoris debitorem venisse dicere posset.
Haec explicatio cum verbis egregie con-
ueniat, quoniam sectionem venditionem
publicam appellatam esse, ex multis au-
ctorum locis discimus, probat etiam sum-
mam Decemuirorum aequitatem et pru-
dentiam. Nam cum debitor, qui plu-
ribus reus iudicatus est, omnibus simul ad-
dici nequeat, quia operae vnicuique debi-
tori pro parte crediti praestandae, non sa-
tis accurate describi potuerunt, deceuiiri
hunc debitorem publice vendi iubent, ut
creditoribus ex pretio redacto, pro modo
creditи, quantum fieri potuit, satisficeret.

Nam

Nam si vni addictus esset, ea lege, vt reliquis creditoribus pecuniam certam solueret, hi queri facile potuissent, debitorem iusti minoris esse addictum. Sed cum id verum esse rei pretium videatur, quod in publica rei venditione datum est, creditores queri nunquam potuerunt, debitorem sub hasta publica venditum minoris addictum esse. Haec igitur interpretatio legi plenissime suum restituit sensum, et verba etiam paullo obscuriora **S I P L V S M I-N V S V E S E C V E R V N T : S E F R A V-D E E S T O** clariora reddit. Iubent scilicet Decemuiri, vt si quis debitorem illum infra vel supra verum pretium emeret, hoc sine fraude faceret, et nec emtor, nec creditores de damno queri possent. Sed cum de hac parte legis, quae sectionem debitoribus minatur, plura pro more suo erudite disputauerit illustre Belgii decus **CORNEL. BYNKERSHOEKIVS** in *Obs. Iur. Rom. Lib. I. C. I.* plura addere non lubet, ne post Homerum Iliada scribere velle videar, praesertim



fertim cum de iis tantum differere apud animum meum constituissem, quae hic vir in omni antiquitate Romana peritissimus vel parum attigit, vel me iudice minus recte explicauit. Videant aequi huiusque rei periti iudices, quis nostrum longius a scopo aberrauerit, cum in tanta rerum antiquitate et inter tot auctorum diuersas sententias, certum quid definire vix liceat.



ani-
r in
vel
epte
rei
sco-
nti-
en-

1938

X22322





3598
510
DISSERTATIO BREVIS
DE
CAPITIS POENA ET SECTIONE
EX LEGIBVS XII. TABVLARVM

Q V A M
V I R O
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO
GVILIELMO PAVLLO
VERPOORTENNIO

RECTORI ILLVSTRIS GYMNASII GEDANENSIS
THEOLOGIAE P. P. ET PASTORI AD AEDEM
S. TRIADOS DESIGNATO

PIE MENTIS TESSERAM
ESSE. C VPIT
GOTTLIEB WERNSDORFIUS

VR. VTR. CANDIDATVS ADVOC. IMMATRIC.
ET S. C. M. NOTAR. PVBL.

WITTEBERGAE
LITTERIS C. CHR. DÜRRII ACAD. A TYPIS.

13. 1. 06. 1770.